

74. **MULGEDIUM** sibiricum Less. syn. comp. 142.
 Sonchus L., Kalm. F. F. n. 447.

In pratis umbrosis humidis et paludosis praecipue ad aqvas Ostrobotniae et Savolaxiae. In Lapponia frequens.

Lapsu calami omissum videtur Mulgedium alpinum in Ind. Kol. Rev. Fellman, vulgatissimum enim in Lapp. Rossica et adest quoque in par. Kuusemo.

75. **LEONTODON** Keretinus, radice praemorsa, foliis elongato-lanceolatis, interioribus grosse dentatis, exterioribus subintegris, scapis mono l. dicephalis una cum pedunculis sursum leviter incrassatis nutantibus, involucri squamis fusco hirsutis, intimis apice albo tactis, ligulis convolutis, aurantiacis.

In pratis ad pagum et fluvium Keret juxta mare album. Floret Julio.

Radix praemorsa, praecipue inferne fibrosa scapos plures emittens subflexuosos, striatos, glabros l. sursum hirtos. Folia elongato-lanceolata, decurrentia, glabra l. sparse pilosa, pili simplices, interiora remote dentata, dentes forma varia, exteriora subintegra. Pedunculi sensim incrassati, folio minuto linearis bracteati cum involucri dense fusco pilosi. Involucrum late obconicum, squamis linearibus, acutis, intimis apice albo notatis. Pappi radii subaequales, exteriores basi latiori serrulati. Achaenia glabra. Flores aurantiaci.

Oporinae pratensi Less. proximum, a qua tamen differt floribus semper nutantibus, apice foliorum involucri intimorum et colore florum saturatiori.